



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

35. De vocatione Petri & Andreae ad perpetuam sequelam.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

ferunt piscium multitudinem copiosam :
rumpebatur autem rete eorum. Et annue-
runt socijs, qui erant in alia navi, ut veni-
rent, & adjuvarent eos. Et venerunt, &
impleuerunt ambas naviculas, ita ut penè
mergerentur. *Luc. 5. & 4. 5. 6. 7.*

III. Quod cum videret Simon Petrus,
procidit ad genua Iesu, dicens : Exi à me,
quia homo peccator sum, Domine. Stupor
enim circumdederat eum, & omnes qui
cum illo erant, in captura piscium, quam ce-
perant. Similiter autem Iacobum & Ioan-
nem, filios Zebedæi, qui erant socij Simo-
nis. Et ait ad Simonem Iesus : Noli time-
re : ex hoc jam homines eris capiens. *Luc.
5. Vers. 8. 9. 10.*

IV. Et subductis ad terram navibus, re-
lictis omnibus, secuti sunt eum. *Luc. 5. & 11.*

MEDITATIO XXXV.

*De vocatione Petri & Andrea ad per-
petuam sequelam.*

I. **A**Mbulans Iesus juxta mare Galilææ,
vidit duos fratres, Simonem, qui vo-
catur Petrus, & Andream fratrem ejus, mit-
tentes retia in mare : erant enim piscatores.
Matth. 4. & 18. Marc. 1. & 16.

II. Et ait illis : Venite post me , & faciam vos fieri piscatores hominum, *Matth. 4. v. 19. Marc. 1. v. 17.*

III. At illi continuo , relictis retibus, secuti sunt eum, *Matth. 4. v. 20. Marc. 1. v. 18.*

MEDITATIO XXXVI.

De vocatione filiorum Zebedæi, Ioannis & Iacobi.

I. **P**rogressus inde pusillum, vidit alios fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes (& ipsos componentes) retia sua in navi, *Matth. 4. v. 21. Marc. 1. v. 19.*

II. Et statim vocavit eos. *Matth. 4. v. 21. Marc. 1. v. 20.*

III. Illi autem statim relictis retibus, & relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenarijs, secuti sunt eum. *Matth. 4. v. 22. Marc. 1. v. 20.*

MEDITATIO XXXVII.

Christus adest nuptiis in Cana Galilææ.

I. **N**vptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est